



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CV. Christus per crucem & passionem sua[m] nobis
Christicolis clausas cæli portas aperuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CV.
 Christus per crucem & Passionem suam
 nobis Christicolis clausas cœli portas
 aperuit.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna colorum. Ecclesia in hymno Ambrosiano.

I.

Adam generis humani protoparens, ubi post prævaricationem suam à paradiso ejectus est, observat Scriptura: *Et collocavit Dominus Deus ante paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Ecce propter peccatum Adami, per quod se ipsum & omnes posteros suos perdidit, paradisi portæ per flammeum gladium clausæ sunt.

Sed attollite tandem post quinque annorum millia portas, Principes, vestras, ô Cherubini, custodes paradisi advolate. Ecce per has clausas portas introibit Rex gloriæ; & quis iste, dicitis, est Rex gloriæ? Respondet ipse universorum Dominus: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in pralio; in quo pralio? Ah quàm cruentum erat hoc prælium, in quo Dominus noster Iesus Christus & hic Crucifixus in Calvario monte cum diabolo, morte & peccato duello conflixit mirando. O quàm cruentum prælium; sed nunc ut gloriosus de centis hostibus suis Triumphator solus dignus erat, qui clausas cœli portas referaret, ad quas aperiendas non alio instrumento usus est quàm cruce; unde S. Chrysostomus: *Cruce Christi clavis paradisi est; Crux Christi aperuit paradysum;* Et S. Vincentius Ferrerius: *Cruce est clavis; qua aperit paradysum;* audi ipsum Dominum loquentem: *Nonne hac oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Observa non per aliam quàm crucis viam, & tu expectas aliam?**

2. De hac cœli clave perelegans vaticinium tulit Isaias Propheta-
 rum princeps: *Dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet, &*
 non

non erit qui claudat: Et claudet, & non erit qui aperiat. Et qualis hæc clavis tam potens? Et nunquid clavis manibus gestatur? Cur ergo hic Vates divinus ait: *Dabo clavem domus David super humerum ejus?* R. Simon Cassianus: Clavis super humerum crux est apposta dorso Jesu, cui versa facie ad homines crudeliter fuit affixus. Et statim sequitur utilitas passionis, apertio cœli; Electis nunquam claudenda, reprobis verò nunquam aperienda. Oportet ut & hic Procopium audiamus: Clavis, ait, hæc Christi est crux, quam ipse humero gestavit, unde de eo dictum est: *Et factus est principatus super humerum ejus.* Christus enim sua cruce & passione promeruit, ut hæc universalis imperii Ecclesiæ potestas ei daretur: unde crux fuit ei quasi clavis, quâ ille cœlum aperuit, & velut instrumentum omnipotentia Christi, quod est clavis ejus regia, quâ omnes res ab ea claudi & aperiri possunt.

Et nunquam vidisti, Lector prudens & Staurophile, quomodo Imperatori, Regi aut Principi civitatem suâ ditioni subjectam ingredienti claves prægrandes & deauratæ à Magistratu seculari ad portam præsentari soleant, per quas claves ejus suprema in subditos indicatur potestas? Et ecce crux Domini nostri Jesu Christi clavis nostra ad cœlum est. O beatus ille, cui in mortis articulo hæc clavis præsentatur! In quem finem moribundis & agonizantibus Christianis, cum eos consolari, & ad civitatem cœlestem transmittere volumus, ob oculos ponimus, imò in manus porrigimus effigiem Christi Redemptoris nostri, non recens nati, prædicantis, SS. Eucharistiam instituentis, sanguinem sudantis, aut resurgentis, vel in cœlum ascendentis, sed in cruce expirantis, ut infirmus firmam æternæ suæ concipiat beatitudinis fiduciam. Hinc Leo Magnus ex infallibili Petri cathedra stipulatam nobis offert promissionem, dicens: *Secura est expectatio promissa beatitudinis, ubi est participatio Domini a passionis.* Adverte ubi est participatio Dominicæ Passionis. Et quid tu hæc in re? Quid?

3. Vis memorabile exemplum? S. Philippus Neri, qui omnem suam scientiam ac sanctitatem crucifixo Salvatore debet; cum SS. Theologiæ operam daret, devotam quandam Crucifixi imaginem in schola ad parietem appensam, sæpius non sine piis lacrymis solebat aspicere, & quia in hoc vitæ libro contemplando multos progressus fecit, ceteros libros suos vendidit, & pretium pauperibus erogavit. Hic ergo talis ac tantus vir cum aliquando ad Sanctimonialem desperandam vocaretur, & illa continuo exclamaret se esse reprobam ac damnatam, ei crucifixi Redemptoris effigiem proposuit, & sic miseram affatus est: Dic, obsecro, Filia, pro quo Filius Dei in cruce mortuus est? Cui illa: Pro peccatoribus; Et quænam tu es, subungebat

S. Pater; Ego, inquiebat Religiosa, sum peccatrix gravissima. Tum S. Philippus; Ergo paradus tuus est, paradus tuus, quia Iesus pro peccatoribus mortuus est; quæ verba: *Paradus tuus est*, in tantum hanc peccatricem commoverunt, ut mox omnis cessaverit desperationis tentatio, & ipsa optimè ad felicem æternitatem disposita inter amplexus crucifixi piissimè expiraret. Ecce quomodo huic Sanctimoniali SS. Crux fuerit aptissima clavis ad beatam & æternam vitam.

Prov. 8. 34.

Manf. in Bibl
tr. 59. disc. 2.

S. Bonavent.
Tom. 7 Stim.
Amor. c. 1.


Sur. & alii in
Vita.

4. Caterùm sæpiùs hæcenus miratus sum, dum in Parabolis Salomonis istam æternæ Veritatis legi sententiam: *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei*. Et quænam, dices, sunt illæ fores, ad quas oportet nos continuo vigilare? Doctissimus Mansus: Per has fores aliud intelligi non potest, quam Christi Sacratissima Vulnera, ad has, inquam, quinque Dominicas fores, ac præsertim ad postes ostii, hoc est ad divinissimum Cor Jesu nunc in vita nostra fideliter invigilemus, ut gratiam inveniamus in tempore opportuno, dum ab hac mortali vita migrandum erit ad æternam. Ne ergo serò nimis cum Phrygibus sapiamus, nunc de clavi ecclie maturè nobis provideamus, ne nobis aliquando, prout fatuis Virginibus, à Sponso cœlesti dicatur: *Clausus est janua*. Juvat hic audire S. Doctorem Seraphicum: *O cœcitas filiorum Adæ, qui per Vulnera in Christum, nesciunt introire! Supra suas vires laborant in vanum, & aperta sunt ecclia ad quietem. An ignoratis, quòd Christus est gaudium Beatorum? Cur tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet, paries ejus contractus est, & vos introire negligitis?* Et sequitur in Proverbiis: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino; Ecce omne bonum & æternam beatitudinem in Sacris Christi Vulneribus poteris invenire.*

5. Testem adduco S. Franciscum de Paula, humilitate, virginitate, corporis afflictatione, fundato Religioso Ordine, trajecto super pallium Siciliae freto, & quàm plurimis aliis prodigiis mirabilem. Hic, inquam, talis ac tantus vir cum ægrotare cœpit, & diem migrationis suæ præcognosceret, quæ erat Feria Sexta in Sacra hebdomade (quâ die & Christus Dominus, vita nostra, in cruce expiravit) clavem ad cœlum, quam ad pectus gerebat, hoc est crucem Domini fortiter apprehendit, & cum illi passio Dominica prælegeretur, circa horam diei nonam erectis in cœlum oculis SS. Vulnera Christi devotissimè exosculans, & sæpiùs illa morientis Redemptoris verba iterans: *In manus tuas commendo spiritum meum*, absque doloris & mortis signo feliciter migravit in cœlum; cujus venerandum cadaver lignea capsâ inclusum, & in terram excavatam immissum, ubi ad preces Serenissimæ Prin-

Principissæ de Subaudia suo tempore exhumatum est, ut decentiori loco & in pretioso sarcophago collocaretur, prorsus incorruptum, ac suavem emittens odorem repertum est. O pretiosa mors Sanctorum ejus! De quibus Vates Regius: *Exultabunt Sancti in gloria*; S. Hieronymus legit: *Exultabunt Sancti in cruce*. Imitemur nos pium ac pœnitentem latronem, qui peccatum suum confessus, Christo Crucifixo publicum innocentiae testimonium dedit: *Hic nihil mali gessit*. Unde Luc. 23. 42. S. Chrysostr. ser. de cruce & latr.

R. S. Chrysostr. Crux erat regnum Christi in hac terra; si vis ad regnum illud & æternum pervenire, ama Crucifixum JESUM.



CONSIDERATIO CVI.

Christus in cruce mortuus amaris lacrymis à nobis est deplorandus.

Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum quasi super unigenitum. Zach. 12. 10.

I.

Josias Rex Juda gloriosissimus, juxta ac pientissimus, ubi cunctas de universis regionibus filiorum Israel abstulit abominationes, fecitque omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo, tandem in prælio à Pharaone Nechao per immixtos sagittarios, stans in curru suo regio occisus est, cui summo cum luctu & lacrymis omnes subditi, sed præcipuè Jeremias parentarunt: *Univer- 2. Par. 35. 24. sus Israel & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maxime.*

Josias, subintrat hinc Cornelius, fuit proavus & typus Christi, quem crucifixum & mortuum longè meliori jure deplorent Christiani omnes, quia pro illorum causâ & salute mortem tam indignam in cruce perpeffus est. Et quis, obsecro, Christianorum, si unigenitum Dei Filium pio intuitu in cruce intuetur confixum, vulneratum, mortuum, ac tam indigna pro nobis indignis tam amanter patientem non

D d d 3

amet,